

Cap. VIII. Rubrica de dacio staratici vendendo
et per quem modum exigi debeat. Et de
vendentibus ad dictum staraticum. R.ca. // 250 B

- 5 **S**tatuimus quod dadium staratici comunis omni anno incan-
tetur et incantari debeat sine peccatis quindecim diebus
ante terminum venditionis eiusdem, et in capite ipsorum quin-
decim dierum deliveretur super scalis palatii comunis plus
offerenti, et emens dictum dadium habere debeat ipsum et exi-
gere ac tenere per unum annum completum, incipiendo a die
10 quarto decimo mensis aprilis in antea usque ad complimentum
anni. ¶ Et solvere debeat et teneatur emptor ipsius dadii pre-
cium emptionis in fine omnium quatuor mensium anni pre-
dicti pro rata precii ipsius venditionis. ¶ Et dare debeat bo-
nam et ydoneam securitatem de solvendo, prout in statuto de
15 venditione daciurum continetur. ¶ Et quod ipse daciarius pon-
derare debeat et mensurare cuilibet persone vendenti et ementi
farinam furmenti legumina vel alium bladum nuces castaneas
et quaslibet alias res que vendentur ad dictum sextarium.
¶ Et persona emens de predictis solvere debeat et teneatur
20 eidem daciario quatuor par. pro quolibet stario, duos par. pro
medio stario et unum par. pro quarta vel media quarta. ¶ Et
tam persona emens quam dictus daciarius non sit ausus ultra
dictum precium recipere nec eidem dare, sub pena centum
sold. par. tam pro dante quam pro recipiente; qui daciarius
25 non debeat vendere farinam vel aliquod bladum vel aliqua vic-
tualia ad dictum staraticum pro se nec pro alia persona, nec
etiam habere partem aliquam cum aliqua persona vendente
nec accipere ab aliqua persona aliquam quantitatem // bladi 251 A
furmenti castanearum nec alterius rei, de hiis que vendentur
30 ad dictum staraticum, in parva vel in magna quantitate ultra
precium supradictum; nec etiam scasare¹⁾ vel scasari facere
aliquos sachos farine vel alterius bladi modo aliquo ingenio
sive causa, sub pena libr. vigintiquinque par. pro quolibet et
vice qualibet contrafacta. ¶ Et quilibet teneatur sacramento

¹⁾ Stat. 1365: *scossare*.